Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Regula Dominus quae pars

[Straßburg], [um 1493]

urn:nbn:de:bsz:31-290450

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Bi 2

I. Arg. Flach 1490
II Grün ~~*701~~ *703.
III. IV. Arg. Flach Grün *734

AN 527 H. 752 = GKW 1055
AN 528 H.*703. = " 1196
H.*734. = " 1190
AN 529 " 8878
AN 530 H 0
AN 531 H. 13822
AN 532 H 0
AN 533 H 0

# Regula dominus que pars. et Regule Congruitatum.

H 13822

# De Nomine

Ominus que pars No
men. Quare. Quia ſignificat ſubſtantiā cum quali=
tate ꝓpria vel cōmuni. Quid eſt nomen. Eſt ꝑſoratio
nis que vnicuiqꝫ ſubiectoꝝ corporū ſeu rerū ꝓpriam
vel cōmunē diſtribuit qualitatē. Quare dicis corpo=
rum. Propter res groſſas q̄ videri ꝛ palpari poſſunt.
vt homo. lapis. lignū. Quare dicis rerū. Propter res inuiſibiles que
nec videri nec palpari pn̄t. vt anima. angelus. Unde dicit᷑ nomē. A no
tamine ſiue a notione. eo ꝙ ſuo vocabulo res incognitas nobis notas
efficiat. niſi enim nomē ſcieris cognitio rerū perit. Quare querit᷑ q̄ pars
Ut ſciat᷑ et intelligat᷑ cui parti ſectio partiū dictio de qua fit ſermo ſup=
ponat᷑. Quid eſt pars. eſt ſectio vel diuiſio cuiuſlibet rei. Nomē quare
fuit inuentū. Ut ſignificaret ſuppoſitū in locutione. Quot ſunt neceſ=
ſaria in locutione. Duo. Que. Suppoſitū et appoſitū. Unde verſus.
Queuis pfecta conſtructio dat duo mēbra. Quid eſt ſuppoſitū. Eſt de
quo fit ſermo. Quid eſt appoſitū. Eſt id qḋ dicit᷑ de ſuo ſuppoſito. vt
ſortes currit. ſortes eſt ſuppoſitū. currit vero appoſitū. Cuius qualita=
tis. Appellatiue. Quare. Quia naturaliter ꝯmune eſt multoꝝ. Cur di
cis naturaliter. Ad differentiā ꝓprioꝝ noīm q̄ nō natura ſed vſu cōmu=
nia ſunt. Quid eſt qualitas. Eſt aptitudo noīs ſignificandi rem ſuā di
ſcrete vel cōiter. Diſcrete vt petrꝰ. Cōmuniter vt homo. Uñ dicit᷑ qua=
litas. A quali. eo ꝙ ꝑ qualitatē cognoſcimꝰ vtrū nomē ſit ꝓpriū vel ap
pellatiuū. Quot ſunt qualitates in noīe. Due. Que. Propria ꝛ appel
latiua. Que eſt ꝓpria. Que vni ſoli rei cōuenit vniuoce. vt Nicolaus.
Unde verſus. Id ꝓpriū dices qḋ nō notat vniuoce res. Plures. nãqꝫ
duo ſenſu nō ſignat ſub vno. Que eſt appellatiua. q̄ pluribꝰ rebus cō=
uenit. vt homo. Uñ verſus. Appellatiuis varias res vniuocabis. Cō
paratur. Nō. Quare. Quia nō recipit augmentū nec patit᷑ decrementū
nec eſt adiectiuū. Quibꝰ noībus cōuenit cōparatio. Noībus adiecti=
uis quoꝝ ſignificatio pōt augeri vel minui. Uñ ꝟſus. Eſt adiectiuis
graduū collatio talis. Dū valet augeri ſua ꝓprietas minuiue. Quid eſt
cōparatio. Eſt rei ad rē facta collatio. Uñ dicit᷑ cōparatio. A cōparan=
do. q2 ꝑ eā cōparamus. Quot ſunt gradus cōparationis. Tres. Qui.
Poſitiuus. Cōparatiuꝰ. et Suplatiuus. Uñ verſus. Hunc gradibus
trinis q̄ ꝯparat ire notabis. Quid eſt poſitiuus. Eſt qui primo loco po
nitur ꝛ abſolute. Uñ dicit᷑ poſitiuꝰ. A pono ponis. q2 ponit fundamen
tum alioꝝ graduū. Poſitiuꝰ in quid deſinit. In diuerſas terminatio=
nes. Unde format᷑. A nullo formatur: ſed alij gradus formant᷑ ab ipo.
Uñ verſus. De primis ambos debes formare ſupmos. Quid eſt ꝯpa
ratiuus. qui ſignificat id qḋ ſuus poſitiuus cū hoc aduerbio magis. vt

a ij

doctioꝛ.id eſt magis doctus. Cuius generis eſt oīs cōparatiuus.qn̄ ter
minat̄ in oꝛ.tunc eſt generis cōis.qn̄ vero in us.tunc eſt generis neutri
Unde verſus. Cōparatiuus in oꝛ generis cōmunis habetur. Cōpara/
tiuus in us generis neutrius habetur. Cuius declinationis eſt omnis
cōparatiuus. Tertie. Unde verſus Declinat tantū tibi tertia compa/
ratiuū. Cōparatiuus in ꝗd deſinit. In maſculino ⁊ in feminino genere
in oꝛ. Et in neutro genere in us. Si poſitiuꝰ fuerit ſecūde declinatōis.
cōparatiuꝰ format̄ a gtō. vt doctus docti. breuia i et adde oꝛ fit doctioꝛ.
et us in neutro genere fit doctiꝰ. Un̄ verſus. Si tibi declinet poſitiuū
noꝛma ſecunde. Taliter inde gradū debes formare ſecundū. I breuies
quā dat gtūs ⁊ i ſupaddes. Si vero poſitiuus fuerit tertie declinatōis
cōparatiuꝰ format̄ a dtō ſingulari. vt foꝛtis foꝛti. breuia i et adde oꝛ fit
foꝛtioꝛ. et us in neutro fit foꝛtius. Un̄ verſus. Terne ꝯſimili formabūt
more datiui. Inde ſiniſterioꝛ ⁊ iunioꝛ excipiant̄. Et potis ⁊ nequā aliā
ꝓbent tibi formā. Quid eſt ſuplatiuꝰ. Eſt ꝗ ſignificat id qđ ſuus poſiti
uus cū hoc aduerbio valde. vt foꝛtiſſimꝰ. id eſt valde foꝛtis. Superla/
tiuus in ꝗd deſinit. In maſculino genere in us. in feminino in a. in neu
tro in um. Si poſitiuꝰ fuerit ſecūde declinatōnis. ſuplatiuus format̄ a
gtō ſingulari. vt doctꝰ docti. adde ſ et ſimus fit doctiſſimꝰ. Un̄ verſus.
Uſqꝫ ſecūda tenens ſuperantē de gtō. Sic formas iungis ſ atqꝫ ſimus
ſupaddes. Si poſitiuꝰ fuerit tertie declinatōis. ſuplatiuꝰ format̄ a gtō
ſingulari. vt foꝛtis adde ſimus fit foꝛtiſſimꝰ. Un̄ verſus. In terna foꝛ/
ma ſimus addes cū gtō. Si poſitiuꝰ fuerit ſcđe declinatōis ⁊ terminat̄
in r. ſuperlatiuꝰ format̄ a ntō ſingulari. vt pulcer. adde rimꝰ fit pulcerri
mus. Un̄ verſus. Cū tenet r rectus rimus eſt illi ſociandꝰ. Inde excipi
untur ſiniſter ⁊ dexter. Quottuplex eſt cōparatio. Duplex. ſcꝫ. regularꝭ
et irregularis. Regularis eſt. qn̄ cōparatiuus ⁊ ſuplatiuus regulariter
formant̄ a ſuo poſitiuo. vt doctꝰ doctioꝛ doctiſſimꝰ. Irregularꝭ eſt. qn̄
poſitiuꝰ ⁊ ſuplatiuꝰ irregularꝭ formant̄ a ſuo poſitiuo. vt bonꝰ melioꝛ
optimus. Mouet̄. Ita. Quō. Per duo genera et ꝑ duas terminatōes
vt hic dn̄s. hec dn̄a. Si nō. Quare Quia nō poteſt moueri de genere in
genus. de voce in vocē. de ſignificatōe in ſignificationē. Quid eſt mo/
ueri. Eſt formare femininū ⁊ neutrum a maſculino. ita ꝙ couenīūt in
principio ⁊ differūt in fine. Quot modis mouent̄ noīa. Tribꝰ. Quibꝰ
Uoce ⁊ ſignificatione. vt doctus docta doctū. Uoce ⁊ nō ſignificatōe.
vt liber libra. fiber fibra. Significatōe ⁊ nō voce. vt pater mater ſoroꝛ
frater. Cuius generis. Maſculini. Quare. qꝛ ꝑponit̄ ei in declinatione
vnū articulare ꝓnomen qđ eſt hic. vt hic dn̄s. Si femini. qꝛ ꝑponitur
ei in declinatione vnū ꝓnomen articulare. vt hec muſa. Si neutri. qꝛ
ꝑponit̄ ei in declinatione vnū ꝓnomen articulare. vt hoc ſcamnū. Si
cōmunis. qꝛ ꝑponunt̄ ei in declinatione duo articularia ꝓnois. vt hic

# De nomine

et hec ſacerdos. Si oĩs. q2 ꝓponunt ei ĩ declinatõe tria articularia pno/
minis. vt hic et hec ⁊ hoc felix. Si dubij. q2 antiq̃ grãmatici nulla rõne
cogente in diuerſis generibꝰ ꝓtulerũt. vt hic aut hec dies. Si epicoeni.
q2 ſub vno articulo ↄprehendit vtrũq3 ſexũ. vt hic paſſer. hec aquila.
Quid eſt genꝰ. eſt quedã ꝓprietas diſcretiua ſexus. vel tãq3 diſcretiua
ſexus mixtim ſe habẽs. vel principaliũ abnegatiua. Quare dicis diſcre
tiua ſexus. Propter varia maſculina et feminina. vt hic vir. hec muli
er. Quare dicis tãq3 diſcretiua ſexus. ꝓpter imaginaria. vt lapis. petra.
Quare dicis mixtim ſe habẽs. ꝓpter cõia. Quare dicis principaliũ ab/
negatiua. ꝓpter neutrũ. Dicit em̃ neutrũ q̃ſi negãs vtrũ. vic3 maſculi/
nũ ⁊ femininũ. Vñ dr genꝰ. A generãdo vel a ge grece qđ eſt terra lati/
ne. vñ nobis cũcta pereant. Cuius numeri. ſingularis. Quia ſingularit
ꝓfertur. Quid eſt numerꝰ. Eſt terminus ſecũde impoſitõis mediãte q̃
dictio ſignificat vnũ vel plura. Vñ dicit numerus A numerãdo. vel a
nummo pompeyo q̃ primũ numerꝫ apud latinos ĩuenit. Hec ſũt noĩa
maſculini generis carẽtia plĩ nũo. vñ verſꝰ. Cũ fimo fimus ſanguis cũ
puluere limus. Aer ſol pontus cũ mũdo fiſcus ⁊ ether. Hec ſunt noĩa
feminini generꝫ carẽtia plĩ nũo. vñ verſus. Fama fames lux vita fides
pax gl̃ia tellus. Atq3 ſalꝰ labes ſitis humꝰ lues mors. Indoles ⁊ ſobo
les ples iuuẽta iuuẽtus. Predictꝫ addetabeſq3 ſenecta ſenectꝰ. Hec ſũt
noĩa neutra carẽtia plĩ nũo. vñ verſus. Pus et opus fenũ ſal manna
q3 ſcenũ. Aurũ phas nephas thabi vix thus ſolũ ver. Nil nihil ⁊ nihi/
lum pluralibꝰ iſta carebũt. Cuiꝰ figure. ſimplicis. quare. q2 nõ pt diui/
di in duas vel in plures ptes intelligibiles prioris ſenſus capaces. vñ
verſus. Nõ poteris tale ſub ſimplici ſciſma notare. Quid eſt figura. ẽ
elementalis ↄſideratio ↄſiderãs ipam dictionẽ eẽ diuiſibilẽ vel indiui
ſibilẽ in ptes ptiales. Quid eſt ↄpoſita figura. Que pt diuidi in duas
vel in plures ptes intelligibiles prioris ſenſus capaces. vñ verſus. Di/
ctio ↄpoſitã dicet hr̃e figuraꝫ. Quã licet in geminas ptes diſtinguere.
quarũ Significata gerit vox deſignata p ipam. Vñ dr figura. A figu/
rando. vel a fingẽdo. fingere eni ↄponere dicimꝰ. Vñ ⁊ nos cõpoſito/
res lutifigulos eẽ vocamꝰ. Cuius caſus. nti. Quare. q2 in tali caſu de/
clinãdo regitur. Quid eſt caſus. eſt finalis inflectio voc. a voce. caſu
alibus ꝓprietatibꝰ directe vel indirecte cõnectans. Vñ dr caſus. a cadẽ
do. eo q2 vnus caſus cadit ab vno in aliũ. Nt̃s ꝓpterea nõ dr caſus q2
cadit ab aliq̃. ſed q2 ceteri caſus cadũt ab ipo. Septẽ ſunt forme caſua/
les. ſc3. Aptota. monaptota. diptota. triptota. tetraptota. pentaptota.
exaptota. Cuius declinatõis ſecũde. quare. q2 mittit gtĩm ſingularẽ in ĩ
et datiuũ ⁊ ablatiuũ in o. vt dñs dñi dño. Si prime. q2 mittit gtĩm ⁊ da
tiuũ ſingulares ĩ ae diptongõ id eſt in e longã. vt muſa muſe. Si tertie
q2 mittit genitiuũ in is ⁊ datiuũ in i. vt ſacerdos tis ti. Si q̃rte. q2 mit/

# De pronomine

tit genitiuū ſingularē in us ⁊ datiuū in ui. vt fructus tus tui. Si quis ſn
te. q2 mittit genitiuū ⁊ datiuū ſingularē in ei diuiſas ſyllabas. vt ſpēs
ſpeciei. vñ verſus. Mittit in e prima genitiuū dat i q3 ſecūda. Tertia
dat is qrta dat us. quinta q3 faciet ei. Ut muſe ſcamni turpis fruct⁹ ſpe
ciei. Quid eſt declinatio. eſt finis ꝑ obliquos variatio. Vñ d2 declina-
tio. a declinando. q2 per eā declinamus.

## Ego que pars. Pronomen.

Quare. q2 ponit loco ꝓprij noīs ⁊ certā ſcat ꝑſonā3. Quare
ꝓnomē poti⁹ ponit loco ꝓprij noīs q̄3 noīs appellatiui. quia
maiorē ↄuenientiā h3 cū noīe ꝓprio q̄3 cū noīe appellatiuo. Quid eſt ꝓ-
nomen. eſt ꝑſorōnis vt in donato. Quare dicis tantundē pene. q2 nō ſi-
gnificat ſuba3 cū q̄litate. Pronomen vero ſubſtantiā merā nulla q̄li-
tate ꝑmixta. Quare dicis ꝑſonā q3 interdū recipit. Propter q̄s vel qui.
q̄ donat⁹ dicit nulli⁹ ēē ꝑſone. vñ dicit. a. ꝓ ⁊ nomē. eo q vice noīs pona
tur. Quot de cauſis inuēta ſunt ꝓnoīa. duab9. q̄bus. Cauſa ↄmodita-
tis. et cauſa neceſſitatis. Cauſa ↄmoditatis. vt quō. Ne idē nomē ſepi⁹
in orōne poſitū tediū generet. vt aiax venit ad troyā. et aiax pugnauit e
Nō dubiū eſt vtrū dicit de vno aiace aut de plurib9. Sed ad illū du-
bium remouendū ponit illud ꝓnomē idē. vt ſic dicēdo. Aiax venit ad
troiā et idē pugnauit. vñ verſus. Cauſa duplex igitur ꝓnoīb9 repitur.
Cur ſint inuēta quarū tibi prima neceſſe eſt. Altera ↄmoditas nā pri-
me ſiue ſecūde. Aiax ad troiā venit pugnauit et idē. Cauſa neceſſitatis
vt quō. Quia oē nomē erat tertie ꝑſone excepto vtō. et nō poterat red-
dere ſuppoſitū verbo prime ⁊ ſecūde ꝑſone. et ideo inuēta ſunt ꝓnoīa.
vt talē defectū ſupplerent. Cuius q̄litatis. finite. Quare. q2 finitā rē de
monſtrat. Quot ſunt q̄litates in ꝓnoīe. due. que. Finita ⁊ infinita. Fi-
nita eſt. q̄ finitā rē demonſtrat. Infinita eſt. q̄ infinitā ⁊ incertā rem de-
monſtrat. Quid eſt q̄litas. eſt aptitudo ꝓnoīs ſignificādi rē ſuā finite
vel infinite. Vñ d2 qualitas. a quali. eo q ꝑ q̄litatē dinoſcim⁹ an ꝓno-
men ſit finitū vel infinitū. Quot ſunt ꝓnoīa apud latinos. quindecim.
ſc3 octo primitiua. et ſeptē deriuatiua. Ego tu ſui ille ipe iſte hic is. ſunt
octo primitiua. Meus tu⁹ ſuus noſter veſter nr̄as ⁊ vr̄as. ſunt ſepte3
deriuatiua. Quot ſunt ꝓnoīa demonſtratiua. decē. ſc3. Ego tu iſte hic
is. me⁹ tuus ſuus nr̄ veſter nr̄as ⁊ vr̄as. Quot ſūt relatiua. q̄ttuor. vñ
verſus. Is ſuus ipe ſui referūt: ſed cetera monſtrāt. Quot ſunt demon
ſtratiua et relatiua ſil'. vnū. ſc3. ille. vñ ver. Ille refert mōſtrat nō facit
hal iud. Cui⁹ generꝫ. oīs. q̄re q2 oī gn̄e aſſociari pt. Quot ſunt genera in
ꝓnoīe. Eadē fere q̄ et in noīe. ꝓter epicoenū ⁊ dubiū gen⁹. q̄ nō repiunt
in ꝓnoīe. Rō. q2 epicoenū ⁊ dubiū ſunt incerta ⁊ indeterminata. ſed ꝓ-
noīa ſunt certa ⁊ determinata cū determinatōe ⁊ relatione. Quare nō

# De pronomine

dicitur hic et hec et hoc ego. ſicut dicit̄ hic et hec ⁊ hoc felix. cum tn̄ ego
eſt ita bene generis oīs ſicut felix. Rn̄detur. q̄ꝛ ꝓnoīa nō diſcernunt̄ ꝑ
dictiones articulares. ſed ꝑ demonſtrationē ⁊ relationē. De numero et
figura ſicut in nomine. Cuius perſone. prime. Quare. q̄ꝛ ſignificat rem
de ſe loquentem. Si ſecunde. quia ſignificat rem ad quam ſermo di-
rigitur. Si tertie. quia ſignificat rē de qua fit ſermo inter primam ⁊ ſe-
cundā pſonā. Quid eſt pſona. eſt res diuerſis aſſignata. Vn̄ dicit̄ pſo-
na. a pſonādo. q̄ꝛ per ſe ſonat. Quot ſunt ꝓnoīa prime pſone. vnū. ſcꝫ
ego cū ſuis obliquis. Quot ſunt ſecūde. vnū ſcꝫ. tu cum ſuis obliquis.
Quot ſunt tertie. alia oīa p̄ter iam dicta. vn̄ verſus. Eſt ego prime pſo
ne tu vero ſecūde. Cetera nō ſperne pſone dicere terne. Cuius declinatō
nis. prime. quare. q̄ꝛ mittit gtm̄ ſingularē in i vel in is et datiuū in i. vt
ego mei vel mis mibi. Quot ſunt ꝓnoīa prime declinatōis. tria. q̄. Ego
tu ſui. vn̄ verſus. Eſtq̄ꝫ mei vel mis in prima tuq̄ꝫ ſuiq̄ꝫ. Quot ſunt ꝓ-
noīa ſecūde declinatōis. quinq̄ꝫ. q̄. Ille ipſe iſte hic is. Quare. q̄ꝛ mittūt
gtm̄ ſingularē in ius et dtm̄ in i. vt ille illius illi. vn̄ verſus. Debet ius
facere genitiuū norma ſcd̄e. Debes formare ꝑ eā ꝓnoīa quinq̄ꝫ. Quot
ſunt ꝓnoīa tertie declinatōis. quinq̄ꝫ. que. Meus tuus ſuus noſter ve
ſter. Quare. quia mittūt genitiuū ſingularē in i. et datiuū et ablatiuū ī
o. vt meus mei meo. vn̄ verſus. Tertia ꝑ primā fit noīs atq̄ꝫ ſecundā.
Quot ſunt ꝓnoīa quarte declinatōis. duo gentilia. ſcꝫ noſtras ⁊ vr̄as.
Quare. quia mittūt genitiuū ſingularē in atis et datiuū in ati. vt nr̄as
noſtratis noſtrati. vn̄ verſus. Quarta quidē terne par debet noīs eſſe.
Quare nō declinatur ego egonis ſicut nomina tertie declinatōis. Re-
ſpondetur ad differentiā huius nominis echo echonis. quod ſignat ſo
num reflexum. Vnde verſus. Echo quis audit voces indagine claudit
At quare caret vocatiuo caſu. quia inuentū eſt ſub ꝓprietate prime pſo-
ne que eſt ꝯtraria vocatiuo. Tu quare habet vocatiuū. quia inuentū
eſt ſub ꝓprietate ſecunde pſone que cōuenit vocatiuo. Quare quis ha-
bet duplicem ablatiuū. quia apud antiquos fuit tertie declinationis.
ſed apud modernos eſt ſecunde declinationis. Quare quis habet du-
plicem nominatiuū. Respondet̄ ꝓpter eius duplex officiū. quia quādo
q̄ꝫ ponitur relatiue. vt ſortes currit qui mouet̄. Quādoq̄ꝫ ponit̄ inter-
rogatiue. vt quis currit. Quare ſui caret vocatiuo. Quia eſt reciprocū
et omnis reciprocatio habet fieri per obliquos. Quare nō dicit̄ ſui vel
ſis. ſicut dicitur tui vel tis. Reſpondetur q̄ ad differentiā huius ver-
bi ſum qd̄ habet ſis in ſecūda perſona et in imperatiuo. Nota octo ſunt
noīa que habēt ſecundā declinationē ꝓnominis. Unde verſus. Unus
et vllus vter et nullus ſolus et alter. Totus dant in ius genitiuos ad-
dis alius. Nanq̄ꝫ tenent normaꝫ pronominis iſta ſecundam. Quare.
Quia mittunt genitiuū ſingularē in ius et datiuū in i. vt vnꝰ vniꝰ vni.

# De verbo

Quot ſunt ꝓnoīa habentia vocatiuū. quattuor. vñ verſus. Tu meus
et noſter noſtras hec ſola vocantur.

## AMo que pars. eſt verbum?
Quare. qꝛ cū modis et formis et tꝑibus agēdi vel patiendi
ſignificatiuū eſt. Quid ē verbū. eſt ꝑſorationis. vt ī dona/
to. Quare dicit ſine caſu. Propter noīa monaptote forme. Quare poſ/
tius dicit ſine caſu ꝙ̄ ſine ꝯparatōe. qꝛ caſus ordinat nomen cū verbo.
et hoc nō facit cōparatio. Vñ dr verbū. a verberando. eo ꝙ verberato
aere plectroqꝫ lingue vox formet. Quare magis verberamꝰ aerē in ver
bo ꝙ̄ in alijs ꝑtibus. qꝛ ſepiꝰ ponit in orōne ꝙ̄ alie ꝑteſ orōis. Quot ſi/
gnificata hꝫ illa dictio verbū. q̄ttuor. vñ verſus. Filius eſt verbū dece/
ptio ꝑſqꝫ loq̄la. Primo mō eſt idē qđ filiꝰ. vt ibi. Verbū caro factū eſt.
id eſt filiꝰ dei incarnatꝰ eſt. Scđo mō eſt idē qđ deceptio. vt verba dat
oīs amans. i. deceptiones Tertio mō eſt ꝑſorōnis. vt ī donato. Verbū
eſt ꝑſorationis. Quarto ē idē qđ loq̄la. vt ibi. verba mea auribus ꝛc.
Quot modis verbū digniꝰ eſt noīe. duobꝫ. q̄bus. Rōne regiminis. et
rōne copule. Rōne regimīs. qꝛ verbū regit nomē ꝛ nō ecōuerſo. Rōne
copule. qꝛ in oī verbo intelligit copula: q̄ eſt cor totiꝰ locutōis. Cuiꝰ q̄li
tatis. Qualitas q̄ requirit in verbo illa diuidit in moduꝫ et in formā.
Cuius modi. indicatiui. quare. qꝛ indicādo mō dictū eſt. Quid eſt mo
dus. eſt varia inclinatio animi varios eiꝰ effectus demonſtrās. Vñ di
citur modus. a moderādo. vel a moderatu. eo ꝙ in vno motu ſumꝰ dū
indicamus. et in alio dū imperamus. Quot ſunt modi in verbo. quin
ꝙ̄. qui. Indicatiuꝰ. Imꝑatiuus. Optatiuus. Cōiunctiuꝰ. Infinitiuꝰ.
Indicatiuus q̄re primo loco ponit. qꝛ ipe ſolus ꝑfectus eſt. et ꝑ ipm di
ſcernimus verū ꝛ falſum. Indicatiuus q̄t tꝑa habet. quinqꝫ diuiſa. Di
uide. Pñs ꝑ ſe. Preteritū imperfectū ꝑ ſe. Preteritū ꝑfectū ꝑ ſe. Pre
teritū pluſq̄ꝑperfectū ꝑ ſe. Futurū ꝑ ſe. Quot modis ponit indicatiuus
Tribus. vñ verſus. Indicat ꝛ dubitat q̄rit modus anteloquēdi. Pri
mo mō ponit indicatiue. vt iſte legit. Secūdo mō dubitatiue. vt neſcit
q̄s legit. Tertio q̄ſitiue. vt q̄s legit. Imꝑatiuus quot tꝑa habet. Duo
diuiſa. Diuide. Pñs ꝑ ſe. Futurū ꝑ ſe. Quare hꝫ niſi duo tꝑa. qꝛ omne
imperiū aut fit de pñti aut de futuro. Quare caret prima ꝑſona in ſin/
gulari. qꝛ nemo ſibiipſi imꝑare pt. Quare hꝫ eā in plurali. qꝛ nos cōnu/
merando alijs nobiſmetipſis imꝑare poſſumꝰ. Quare ponit añ optati/
uum. qꝛ dignius eſt imꝑare ꝙ̄ optare. Imꝑatiuus quot modis ponit.
Octo. vnde verſus. Imperat hortat. permittit cōſulat orat. Tentat et
aꝑplaudit indignaturqꝫ ſecundus. Primo ponitur imperatiue. vt fac
ignem. Secundo hortatiue. vt eſtote fortes in bello. Tertio permiſſi/
ue. vt iraſcimini et nolite peccare. Quarto cōſultiue. vt petre ſeq̄re me.

# De Verbo

Quinto. oratiue. vt miſerere mei deus. Sexto. tentatiue. vt immola filium tuū quē diligis Iſaac. Septimo. applauſiue. vt aue maria. Octauo. indignatiue. vt vade retro ſathanas. Optatiuꝰ q̄t tpa habet. quattuor ꝯiuncta ⁊ vnū ꝑ ſe. Cōiunge et diuide. Preſens ⁊ p̄teritū imꝑfectū cōiunctim. Preteritū ꝑfectum et pluſq̄ꝑfectū ꝯiunctim. Futurū ꝑ ſe. Quare ponit̄ ante ꝯiunctiuū. q2 optatiuꝰ pōt venire in locutionē ſine additione alteriꝰ verbi qd̄ ꝯiunctiuꝰ facere nō pt. Cōiunctiuꝰ quot tpa habet. quinq3 ſicut indicatiuꝰ. Quare ponit̄ ante infinitiuū. q2 certior eſt in numeris ⁊ in ꝑſonis. Infinitiuꝰ q̄t tpa hab3. quattuor ſicut optatiuus. Quare vltimo loco ponit̄. q2 certis caret numeris ⁊ ꝑſonis. Nō q2 oīno careat. ſed q2 indifferēter ſe habeat ad quēlibet numerū ⁊ ꝑſonā. Cuius forme. Perfecte. Quare. q2 ꝑfector℞ v̄bor℞ regulā ſeruat. Que eſt formatio ꝑfector℞ verbor℞. Quādo ſecūda ⁊ tertia ꝑſona regulariter formant̄ a prima ſcdm ꝯuenientiā principij ⁊ differentiā finis. Quid eſt forma. eſt quedā ꝓprietas ꝯſiderata ex terminatōe ⁊ formatōe verbi. Quot ſunt forme in verbo. Quattuor. vn̄ verſus. Quattuor in verbis ſunt forme p̄teritiſq3. Perfecta forma in q̄d deſinit. in o vel in or. Vn̄ format̄. A nullo format̄: ſ3 alie forme formant̄ ab ea. Frequētatiua forma in q̄d deſinit. In to vel in ſo vel xo. Et triplex eſt eiꝰ formatio. Prima. verbū frequentatiuū format̄ ab vltimo ſupino verbi ꝑfecti. mutādo u in o. vt curſum curſu. u in o fit curſo. Vn̄ verſus. Ex u ſupremi de ceto formare ſupini. Sic curro curſu formabit nectoq3 nexo. Secūda formatio eſt. Si v̄bū ꝑfecte forme habuerit a longā in penultima ſyllaba ſupini. tūc a longa debet mutari in i breuē. vt rogatū rogatu. a in i et u in o fit rogito. Vn̄ verſus. Si tn̄ a longa fit in illis in anteſupma Hanc in i mutabis formanſq3 et eā breuiabis. Sic rogo dat rogito ſic aptito fiet ab apto. Tertia formatio eſt. Si verbū ꝑfecte forme habuerit gi in p̄terito. tunc verbum frequentatiuū format̄ a ſcd̄a ꝑſona p̄ntis tpis indicatiui modi deponēdo s. vt lego legis. depones et adde to fit legito. vn̄ verſus. Si ꝑfecti ſit p̄teritū retinens gi. Tūc ex ꝑſona p̄ntis deme ſecūda. S et to iungas legito ſic ex lego formas. Et ſunt oīa prime ꝯiugatōis. Vn̄ verſus. Atq3 prior fit ei data declinatio verbi. Inchoatiua forma in q̄d deſinit in co. Vn̄ format̄. A ſecūda ꝑſona p̄ntis tpis indicatiui modi. vt ferueo ferues. adde co fit ferueſco. vn̄ verſus. Hanc inceptiuā formā veteres poſuere. Co cū ꝑſona p̄ſentis iunge ſecunda. Verbi ꝑfecti decet hinc exemplificari. Ferues ferueſco dat normam tepeſcq3 tepeſco. Et ſunt tertie ꝯiugationis. vn̄ verſus. Hanc declinari faciat tibi tertia verbi. Meditatiua forma in q̄d deſinit. in rio. Vn̄ format̄. ab vltimo ſupino. vt lectū lectu. adde rio fit lecturio. Vn̄ verſus. In meditatiuis fiet formatio talis. Verbi ſupremū ꝑfecti pone ſupinū. Et finē breuia cū quo rio ſit ſociata. Parturio facere ſic debes

eſuriocꝫ. Et ſunt quarte cõiugationis. Uñ verſus. Verborũcꝫ data ſic
declinatio quarta. Et ſunt generis neutri. Cuius ꝯiugatõnis. Prime.
Quare. qꝛ habet a ꝓductã ante re in infinitiuo. vt amare. Si ſecunde.
qꝛ habet e ꝓductã añ re in infinitiuo. vt docere. Si tertie. qꝛ habet e cor
reptã ante re in infinitiuo. vt legere. Si quarte. qꝛ hꝫ i ꝓductã ante re i
infinitiuo. vt audire. Quid eſt ꝯiugatio. Eſt cõſequens verboꝝ deter⸗
minatio. Uñ dicit̃ ꝯiugatio. A cõiungendo. qꝛ ꝑ eã ꝯiugam⁹. Cuius
generis. Actiui. Quare. qꝛ pt̃ ꝯſtrui cuꝫ accuſatiuo a pte poſt. vt amo
deũ. Vel qꝛ deſinit i o ꝛ pt̃ accipere r ſuꝑ o ꝛ facere ex ſe paſſiuũ. vt amo
amoꝛ. Si paſſiui. qꝛ deſinit in r ꝛ poteſt dimittere r et redire in ſuũ acti
uum. vt legoꝛ lego. Si neutri. qꝛ deſinit in o ꝛ nõ pt̃ accipere r ſuꝑ o. qꝛ
ſi acciperet r nõ eſſet latinũ. vt ſto curro. ſtoꝛ curroꝛ nõ dicit̃. Si depo⸗
nens. qꝛ deſinit in r ꝛ nõ poteſt dimittere r. qꝛ ſi dimitteret r nõ eſſet la⸗
tinũ. vt loquo. loquoꝛ nõ dꝛ. Si cõmunis. qꝛ deſinit in r. et hꝫ vtrãcꝫ
ſignificationẽ tã actiuã ꝗ̃ paſſiuã. r nõ depoſita. Quid eſt gen⁹ in ver⸗
bo. Eſt quedã ꝓprietas et ſignificatõe ꝛ determinatõe o vel oꝛ ꝯtracta
Unde dꝛ genus. A generãdo. nã actiuũ generat ex ſe paſſiuũ. Cui⁹ tpis
Pñtis. Quare. qꝛ pñs tps deſignat. Quid eſt tẽpus. Eſt mora motus
rerũ mobiliũ. Uñ dicit̃ tps. a temperando. vel a diſtinguendo. eo qꝛ
actus noſtros temperet ꝛ diſtinguet. Cuius ꝑſone. Prime. Quare. qꝛ
poſſum ei adiũgere vnũ ꝓnomen prime ꝑſone. vt ego amo. Si ſecũde.
qꝛ poſſum ei adiungere vnũ ꝓnomẽ ſcđe ꝑſone. vt tu amas. Si tertie.
qꝛ poſſuꝫ ei adiũgere vnũ ꝓnomẽ tertie ꝑſone. vt ille amat. Quid ẽ ꝑſo
na. Eſt res diuerſis aſſignata. Uñ dꝛ ꝑſona. a ꝑſonando. qꝛ ꝑ ſe ſonat.

## Hodie que pars aduerbium.

Quare. Quia ſtat iuxta verbũ ad ei⁹ ſignificationẽ decla⸗
randã. Quid eſt aduerbiũ. Eſt verbi adiectiuũ. Uñ dicitur
aduerbiũ. ab ad et verbũ. et interponit̃ ibi i. ne putent̃ eſſe due dictões.
Cuius ſignificatõis. Temporis. Quare. qꝛ pñs tps deſignat. Quid ẽ
ſignificatio in aduerbio. Eſt quidã modus determinãdi ipm verbũ.
A quibus ꝑtibus deſcendũt aduerbia. Ab oĩbus ꝑtibus. A noĩe do⸗
ctus venit aduerbiũ docte. A ꝓnoĩe ille venit illic. A verbo ſto venit
ſtatim. Ab aduerbio ſepe venit ſepi⁹. A ꝑticipio ſapiẽs venit ſapien⸗
ter. A ꝯiunctione necꝫ venit nequacꝫ. A ꝓpoſitione ex venit extra. Ab
interiectõe o venit oſi. Uñ verſus. Eſt hui⁹ ꝑtis ꝗ̃libet caput et fons.
Docte de doctos ex hinc de ꝓnoĩe dicas. A ſto ſtas ſtati a ſenſu dicito
ſenſim. Sepius a ſepe nequacꝫ de necꝫ ſume. Dicis ab extra. ſed ab o
dicit̃ oſi. Cõparatur. Nõ. Quare. qꝛ eius ſignificatio nõ pt̃ intendi vel
remitti. Cuius figure. Cõpoſite. Unde cõponit̃. A ꝓnoĩe hoc. et a noĩe
die. Et dꝛ hodie quaſi hoc die. Quot ſunt aduerbia interrogatiua loco

# De Aduerbio

rum. Quattuor. ſcʒ. Quo. qua. vbi. et vnde. Unde verſus. Quo petit
ad. qua per. in vbi. vnde petit de. Quid rn̄detur ad quo. Duplex. Ad/
uerbialiter ꝛ noīaliter. Aduerbialiter. Reſpondet huc illuc iſtuc. No
minaliter. hoc dupliciter. Vel ꝑ noīa ꝓꝛia. vel ꝑ noīa appellatiua. Si
per appellatiua. Rn̄detur actūs mediāte ꝑpoſitione ad. vt quo trāſis.
ad ciuitatē. ad campū. Si aūt ſunt ꝓꝛia noīa hoc eſt dupliciter. vel ta
lia ſunt minoꝛū locoꝝ vel maioꝛū. Si ſunt minoꝝ locoꝛū. hoc eſt du/
pliciter. Vel talia ſunt ſimplicis figure vel cōpoſite. Si ſunt ſimplicis
figure. tūc rn̄detur ꝑ accuſatiuū ſine ꝑpoſitione. vt q̄ tranſit rex. Pragā
Cracouiā. Si ſunt ꝯpoſite figure. tūc reſpondet ꝑ accuſatiuū median
te ꝑpoſitione. vt quo ꝑgis. Reſpōdetur ad montē peſſulanū. Si autē
ſunt ꝓꝛia noīa maioꝛū locoꝝ. tūc iterū rn̄detur ꝑ accuſatiuū mediante
ꝑpoſitione ad. vt quo tranſiſti. Rn̄detur. ad Poloniā. ad Bohemiam.
Ad qua eodē mō reſpondet ſicut ad q̄. niſi ꝙ alia ſunt aduerbia et alia
ꝑpoſitio licet ꝑ cū. qua rn̄detur ad noīa. Quid reſpōdetur ad vbi. Du/
pliciter. Aduerbialiter et noīaliter. Aduerbialiter rn̄detur hic illic iſtic
Nominaliter diuerſimode. Vel ꝑ noīa ꝓꝛia. vel ꝑ noīa appellatiua.
Si ꝑ noīa appellatiua. tunc reſpōdetur ꝑ ablatiuū mediāte ꝑpoſitione
in. vt vbi fuiſti. in ciuitate. in campo. Si ꝑ noīa ꝓꝛia. hoc eſt diſtincte.
Vel talia ſunt minoꝛū locoꝝ vel maioꝛū. Si minoꝝ locoꝛū. hoc iterū
eſt diſtinguendū. Vel talia ſunt prime declinatōis ꝛ ſingularis nume
ri. et ſic rn̄detur ꝑ genitiuū. vt vbi fuiſti. Rn̄detur. rome. Vel talia ſunt
ſecūde declinatōnis. et etiā ſingularis numeri. et ſic iterū reſpondet per
genitiuū. vt vbi fuiſti.. rothomagi. Vel talia ſunt tertie declinationis
et ſingularis numeri. tūc reſpōdetur ꝑ ablatīm ſine ꝑpoſitōe. vt vbi fuit
rex. reſpondet. vernone. Vel talia ſunt prime declinatōis ꝛ pluralis nu
meri. tunc iterū reſpōdetur ꝑ ablatiuū ſine ꝑpoſitione. vt vbi fuit rex.
Reſpōdetur athenis. Si aūt fuerint ꝓꝛia noīa maioꝛū locoꝝ. tūc re/
ſpondet ꝑ ablēm cū ꝑpoſitione. vt vbi fuit rex. Rn̄detur in Bohemia.
in Polonia. Ad vnde eodē mō reſpōdetur ſicut ad qua. niſi ꝙ alia ſūt
aduerbia ꝛ alia ꝑpoſitio cū hoc reſpondetur ad noīa cū ablt̄o caſu.

## Legens que pars eſt partici

pium. Quare. Quia capit partē noīs partēq; verbi. Quid
eſt ꝑticipiū. Eſt pars oꝛationis vt in donato. Un̄ dicit par/
ticipiū. A noīe pars. et a verbo capio. Cuius generis oīs. Quare. quia
omne participiū deſinēs in ans vel in ens eſt omnis generis et p̄ſentis
tꝑis. Unde verſus. Participans q̄d in ans vel in ens fit dicito p̄ſens.
Unde formantur ſcd̄m Grecistā. Si verba fuerint prime vel ſecūde
cōiugationis. tūc formant a ſecūda ꝑſona p̄n̄tis tꝑis indicatiui modi
et ſingularis numeri. vt amo amas. pone n inter a et s habebis amans.

# De Participio

Doceo doces. ponen inter e ꝛ s habebis docẽs. Vñ verſus. Preſens
ꝑticipis a pñti generat. Sed diuerſimode naſcit varie. N interpone
ꝑſona ſcđa duarũ. Sicut ab amo amãs ſic fit a doceo docẽs. Si autẽ
fuerint tertie vel quarte ꝯiugatõis. tunc formant a prima ꝑſona pñtis
tpis indicatiui modi. mutãdo o in ens. vt lego. mutãdo o in ens. fit le-
gens. Audio muta o in ens fit audiẽs. Vñ verſus. Terne vel quarte
ꝑſona prior generabit. O ſi vertis in ens cũ queo tollis eo. Sed ſcđm
remigiũ formant a prima ꝑſona ꝑteriti imꝑfecti tpis indicatiui modi
mutãdo bam in ns. vt legebã. mutãdo bam in ns fit legẽs. Preteritũ
ꝑticipij in qđ deſinit in tus vel in ſus vel in xus. Vñ verſus. Tus ſus
xus dat ꝑteritũ. Unde format ab vltimo ſupino. vt lectũ lectu. adde
s fit lectus. Viſum viſu. adde s fit viſus. Nexũ nexu adde s fit nexus
Futurũ ꝑticipij in rus format ab vltimo ſupino. vt lectũ lectu adde rus
fit lectur⁹. Sed futurũ ꝑticipij in dus formatur a gtõ ſingulari ſui pñ-
tis tpis ꝑticipij. vt legẽs legẽtis. ꝯuerſa tis in dus fit legend⁹. Vñ ver
ſus. Rus dus ſcꝫ futurũ. Cuius ſignificatõis. actiualis. Quare. qꝛ venit
a verbo actiuo qđ eſt lego legis. Inde venit ꝑticipiũ legẽs tis. Quid ẽ
ſignificatio in ꝑticipio. Idẽ eſt qđ genus in verbo. Vñ verſus. In verbi
genere q̄ ſit ſignificatio q̄re. Quot ꝑticipia deſcendunt a verbo actiuo.
Duo. Pñs ꝛ futurũ. vt legẽs lectur⁹. Vñ verſus. Quere ꝑ actiua pñs
in rus cꝫ futura. Quot a verbo paſſiuo. Duo. Preteritũ ꝛ futurũ. vt le
ctus legend⁹. vñ verſus. Sunt ꝑ paſſiua tibi cetera ſignificãda. Quot
a verbo neutrali. Duo ſicut ab actiuo. Pñs ꝛ futurũ. vt ſtans ſtatur⁹.
Vñ verſus. Que dabit actiuũ dabit hec eadẽ tibi neutrũ. Quot a ver-
bo deponẽtali. Tria ſcꝫ. Pñs ꝑteritũ ꝛ futurũ. vt loquẽs. locut⁹. locu
turus. vñ verſ⁹. Deponẽs terna. Quot a verbo cõi. quattuor. ſcꝫ. Pñs
ꝑteritũ. et duo futura. vt criminãs. criminat⁹. criminaturus ꝛ criminã
dus. Vñ verſus. Tibi dat ꝯmune quaterna. Cuius figure eſt omẽ ꝑtici-
pium. Simplicis aut decõpoſite. vñ verſus. Omẽ ꝑticipãs dic ſimpli
cis eſſe figure. aut decõpoſite dicere nõ dubites. Quare ꝑticipiũ ſit ſim
plicis figure patet de noĩe. quare aũt dicit decõpoſite. qꝛ venit a verbo
cõpoſite figure. Cõpoſita em̃ figura nõ eſt in ꝑticipio. Quare. qꝛ omne
ꝑticipiũ eſt deriuatiue ſpẽi. Quot modis ꝑticipiũ tranſit in vim noĩs.
quattuor. q̄bus. Cõparatione. tpis amiſſione. regimine ꝛ ꝯpoſitione.
Cõparatione. qñ vox ꝑticipialis ꝯparat. vt amans amantior amãtiſ-
ſimus. Tpis amiſſione qñ ꝑticipiũ in reſolutõe ꝑdit tempus. vt iſte li
ber eſt legend⁹ id eſt dignus lectione. Regimine. qñ ꝑticipiũ regit aliũ
caſum q̄z ſuũ verbũ a q̄ deſcendit. vt amans illi⁹. nõ em̃ ꝯgrue dicitur.
amo illius. ſed amo illũ. Cõpoſitione. qñ ꝑticipiũ ꝯponitur cũ aliqua
ꝑte orationis cũ qua ſuũ verbũ cõponi nõ poteſt. vt indoctus. nõ em̃ di
citur indoctoꝛ. Vñ verſus. Dũ mutat regimẽ ſit ꝑticipãs tibi nomẽ.

# De cōiunctione

Dum perdit tempus dū cōparat aſſociamus. Iſtis ꝯpoſitū dum ſimplex ſit tibi verbum.

**AT que pars. cōiunctio. quare.** Quia ꝯiungit ceteras ꝑtes in orōne. Quid eſt ꝯiunctio. Eſt ꝑs orationis. vt in donato. Vn̄ dr̄ ꝯiūctio. a cōiungendo. q2 ꝑt oēs ꝑtes ꝯiūgere. Nomē cū noīe. vt petrus ⁊ paulus currūt. Pronomen cū ꝓnoīe. vt ego et tu currim⁹. Verbū cū verbo. vt iſte ſtudet ⁊ ꝓficit. Aduerbiū cū aduerbio. vt iſte ſcribit bn̄ ⁊ velociter. Participiū cū ꝑticipio. vt iſte legēs ⁊ agēs diſputat. Cōiunctōz cū ꝯiunctōe. vt q̄dē et equidē male fecerūt. Prepoſitionē cū ꝓpoſitōe. vt ī et ſuꝑ ꝓmiſſis. Interiectionē cū interiectōe. vt heu et ꝓch dolor multa mala fiunt. Quot modis ꝯiūgit ꝯiūctio. duob modis. Quib. ꝑ vim ⁊ ꝑ ordinē. Per vim. qn̄ ꝯiūgit ea q̄ prius īter ſe nullā habebāt ꝯuenientiā. vt ſortes bibit ⁊ dormit. Per ordinē. qn̄ ꝯiūgit aliq̄ q̄ prius inter ſe habebāt ꝯuenientiā. vt ſortes currit ⁊ mouet̄. Cui⁹ poteſtatis. copulatiue. Quare. q2 copulat tā ſenſus q̄3 verba. Quid eſt ꝑtās. Eſt qd̄ dā officiū qd̄ exercet ꝯiūctio ī ꝯiungēdo dictōes ⁊ orōes. Poteſtas ꝯiunctionū q̄t ſpēs h3. quinq3. Quas. Copulatiuas. diſiūctiuas. expletiuas. cauſales. et rōnales. Copulatiua q̄ eſt. q̄ ꝯiūgit tā ſenſum q̄3 ꝟba. Diſiunctiua eſt q̄ ꝯiungit aliq̄ in ſe. ſed reſpectu tertij diſiūgit. vt ſortes et plato currūt. Expletiua eſt q̄ cauſam ornat⁹ explet. vt ſi nō dabis ſolidū ſaltē da denariū. Cui⁹ ordinis. cōmunis. q̄re. q2 ꝓponi ⁊ poſtponi ꝑt dictōnibus q̄s copulat. Quid eſt ordo. Eſt q̄dā ꝓprietas ꝯiunctōis ꝓponendi ⁊ poſtponēdi dictōibus q̄s copulat. Quot ſunt ordines in ꝯiunctōe. Tres. qui. Prepoſitiu⁹. ſubiunctiu⁹. et cōis. Quot ſunt ꝯiunctōes ꝓpoſitiui ordinis. quindecim. q̄. Aut ac aſt an nec3 quin quaten⁹ etſi ſin ſeu ſiue neue nā ni niſi. Et dicūtur ꝓpoſitiui ordinis. q2 ꝓponunt̄ dictionibus q̄s copulāt. Quot ſunt ꝯiunctōes ſubiūctiui ordinis. Octo. q̄ q3 ve nec3 quidē autē q̄3 eñ vero. Et dicūtur ſubiūctiui ordinis. q2 tm̄ poſtponunt̄ dictionib q̄s copulāt. Quot ſunt ꝯiunctōes cōis ordīs. Alie oēs ꝑter q̄ ſupi⁹ dicte ſunt. Quot ſunt ꝯiunctōes encletice. Tres q̄ ſc3. q3 ne ve. Et dicunt̄ encletice. q2 inclināt ſuꝑ ſe accentū ꝓcedentis ſillabe. vt dixitq3. putaſne. dn̄ſue. Vn̄ verſus. Inclinantq3 neve quas encleticas reor eſſe.

cuius potestatis

